

resp.: Negative ad utramque partem. n. 4075. ad 22 die 19. Julii 1738.

9) De comm. C. non P. (Quod).

Dubitatur: In Communi Conf. non Pont. ad Capitulum quaedam recentiores editiones Breviarii Rom. habent: *nec speravit in pecunia, et thesauris*; aliae vero habent *nec speravit in pecuniae thesauris*: quomodo ergo legendum?

S. C.... rescribendum censuit: juxta votum Magistri Caeremoniarum nimirum:

Legendum „in pecunia, et thesauris.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4930 ad IX. die 11. Sept. 1841.

CAPPA.

1) Canonicorum.

a) Cathedralis.

Vd.: *Parasceve* (adorat. crucis etc.); *Canonici* (administ. Sacrament.; decr. n. 4536 dub. addit.); *Concio* Canonicorum.

Canonicis parochis Cathedralis funera *concomitantibus* non licet deferre cappam choralem, per quam a caeteris simplicibus presbyteris distingantur. n. 3543 die 19. Decb. 1699.

Non licet Capitulo Cath. s. Severi cappis extensis usque ad talos incedere in processionibus poenitentiae et in associatione cadaverum Concapitularium et Episcopi Ordinarii. n. 4178 ad 2 die 4. Sept. 1745.

Non posse Episcopum Canonicos cogere ad deferendam cappam pro *usu chori*, cum nec Canonici nec alii cappam deferre possint sine expressa et speciali licentia Sedis Apost. n. 227 ad 3 die 10. Jan. 1604.

A primis Vesperis Vigiliae Omnium SS. usque ad Sabbatum s. Canonici deferant Cappam supra Rocchettum, et

deinde postea Cottam seu Superpelliceum ad instar Canonicorum s. Petri. n. 2855 die 22. Jan. 1678.

Canonici habentes usum cappae magnae non possunt illam deferre expansam seu extensam, ut Episcopus, in adoratione Crucis fer. VI. Parasceve vel alio tempore. Abusum Episcopus tollat. n. 3544 ad 3 die 23. Januar. 1700.

Ad dubium: an teneantur Canonici Cathedr. cappam deponere tam intra quam extra Cathedr., dum verbum Dei praedicant vel dum Officium Sacerdotis assistentis in missa novi Celebrantis aliasque quascunque non capitulares functiones exercent? S. C. resp.: Negative in propria Ecclesia, etiam in Concionibus aliisque functionibus, excepta SSrum. administratione, in qua utendum est superpelliceo et stola; affirmative extra propriam ecclesiam, et detur decretum generale. n. 4536 dub. addit. 2 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Nemini dubium, quod Canonici Cappae magnae usum habentes, aut aliis honorificis Insigniis decorati, illam, vel ista adhibere possint in propria Ecclesia, vel assistentes, vel incedentes et sacras functiones peragentes capitulariter, vel uti singuli operantes, excepto dumtaxat casu administrationis Sacramentorum, quae cum ex Rubricarum praescripto, tum ex S. C. Decretis (ut ad proximum Dubium notatum est), exigunt usum Superpellicei et Stolae. Ideo si quis ex Canonicis conciones habeat ad Populum, vel S. explanandis Scripturis, vel ad instituendos reformandosque mores Catechesibus, ac spiritualibus exercitationibus incumbat, poterit in propria Ecclesia uti Cappa, aliisque Canonicatus Insigniis pro temporum varietate. Haud tamen idipsum poterit in alienis Ecclesiis, vel intra, vel extra

Dioecesim. Ita a S. R. C. declaratum lego die 10. Sept. 1650 et 12. Mart. 1678 praesertim vero habenda ratio est alterius Decreti in Capuana 15. Julii 1651.

Si quidem „*Canonici* habentes ex Apostolico Indulto usum Cappae, et Rocchetti, tam in eorum, quam in quibuslibet aliis Ecclesiis,“ declarari postulabant: num iisdem Insigniis uti possint in aliis Ecclesiis, dum Conciones habent?“ quibus responsum fuit: Id eis non licere, nisi in propria Ecclesia. Ex quo Decreto colligimus, quod privilegia deferendi Canonicalia Insignia extra propriam Ecclesiam, ita sunt intelligenda, ut id liceat, quando Canonici capitulariter, vel in Processionibus incedunt, vel in alienis Ecclesiis s. peragunt functiones, aut iisdem assistunt; Corpori siquidem concessa sunt, non Canonicis uti singulis. Quamobrem consequitur, quod Canonicus habens usum Rocchetti et Cappae extra Ecclesiam propriam concionaturus, aut aliam Ecclesiasticam functionem peracturus, uti non poterit privilegio Capitulo et Canonicis unum corpus constituentibus concesso, nec proinde adhibere Rocchettum, et Cappam, aut aliud honorificum Canonicale Insigne. Ne quis tamen sit, qui credat, antedictum S. C. responsum accipiendum ita esse, ut Canonicis in propria Ecclesia liceat uti Cappa, nedum in Concionibus habendis, verum etiam in Sacramentorum administratione, cum generalis sit dictio „*Non* licere, nisi in propria Ecclesia,“ quae nullam ponere limitationem videtur. Nam responsum relativum est ad Dubium super intelligentia privilegii extra propriam Ecclesiam; et S. C. significare, et declarare voluit, quod non omnia, quae fieri possunt in propria, aequae licent in aliena Ecclesia, quin tamen id permissum censuerit, quod jura velant, quale est administratio Sacra-

mentorum cum Cappa, et non cum Superpelliceo. Decreti igitur sensus est, quod Canonici possunt in propria Ecclesia uti singuli conciones habere, aliasque omnes functiones non capitulares peragere cum Cappa excepta Sacramentorum administratione: extra vero propriam Ecclesiam nullibi, et in nulla omnino functione eadem, vel aliis Canonicatus Insigniis uti posse. Haud tamen inficior in more positum esse in Basilicis Urbis Sacramentum Poenitentiae administrari tam a Canonicis quam a Beneficiatis stola imposita supra Cappam in propria Ecclesia. Improbandum erit hujusmodi consuetudo, immo ne potius retinenda? Si mihi licet proprium expromere sensum, crederem morem hunc posse retineri, difficile namque esset illam abrumpere et certum est Regulares vel ex consuetudine vel ex privilegio Sacramentum Poenitentiae administrare solitos, Stola dumtaxat adhibita, sine superpelliceo. Lex igitur coarctari potest ad aliorum Sacramentorum administrationem, Baptismatis scilicet, Eucharistiae, Matrimonii.

Quaeritur praeterea in eodem dubio, Num Canonicus, fungens Officio Sacerdotis assistentis in Missa noviter ad Presbyteratus Ordinem evecto, debeat Cappam deponere? Nulla, quod sciam, est lex, quae in tali occasione et officio usum Cappae prohibeat Canonico in propria Ecclesia (in alienis servanda est regula generalis, de qua supra), quamobrem necesse non est, ut Sacerdos Assistens illam deponat, sed aequae poterit cum illa, vel cum superpelliceo supra Rocchettum hoc munus explere; non enim res est de conficiendo, aut administrando Sacramento, sed de simplici assistentia Celebranti praestanda. Quoniam vero contingere potest, ut Sacerdos assistens debeat, aut tangere Calicem post Consecrationem, aut quid aliud agere immediate circa Sacramen-

tum, proindeque stolam adhibeat; decens magis videtur, ut Cappam deponat, et induat Superpelliceum. Et revera si in Patriarchalibus, et insignioribus Urbis Basilicis, dum sit solemnis ostensio S. Reliquiarum, Canonici, qui assistunt Episcopo aut alteri Sacerdoti s. peragenti actionem, Cappa deposita, superpelliceum Rochetto imponunt; potiori jure, ob rationem supra allatam maxime congruit, ut idem fiat, dum Canonicus assistentiam praestat Sacerdoti primum Sacrum Deo offerenti. Neque id adversatur S. C. responso, quod, cum sit relativum ad Dubium: An teneatur deponere? facultatem importat, non inducit necessitatem. In hoc igitur crederem servari posse consuetudines Ecclesiarum.

„Dignitatibus vero, et Canonicis, etiamsi gaudeant Indulto deferendi Cappam et Rochettum tam in propria, quam in alienis Ecclesiis, hujusmodi tamen aliorumque Canonicalium Insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et peragunt s. functiones; non autem, si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter, et distincte ad personas extendatur.“

Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit, si SSmo. videbitur, die 31. Maii 1817.

Facta autem relatione etc. per infrascriptum Secretarium S. R. C. de praemissis SSmo. D. M. Pio VII. P. M. S. S. S. C. Decretum Apostolica confirmatione munitum, typis tradit, ac evulgari jussit, pridie Nonas Junii MDCCCXVII. n. 4537 ad 2.

MUTINEN.

Praeclarissimae Cath. Mutinen. Eccl. Dignitatibus et Canonicis s. m. Clemens Papa XI. per Apost. Litteras in forma Brevis datas pridie Kal. Oct. Anno

1713 indultis, ut antiquo habitu Choralis dimisso, Rochettum cum suis manicis et Cappam magnam violaceam cum pellibus, tam intra quam extra Ecclesiam, etiam in Processionibus, Funeralibus, et Functionibus publicis quibusvis anni temporibus, et juxta temporum opportunitatem etiam Rochettum solum, et sine Cappa deferre, et gestare, illisque libere et licite uti perpetuo possent. Hujusmodi Indultum ex summa erga praedictam Ecclesiam et Capitulum benevolentia concessum antiquitus, dissidii modo, et quaestionis non levis causa est. Dignitates siquidem et Canonici autumant, Rochettum, et Cappam gestare posse etiam in assistendo Vesperis Missaeque Pont., quae ab Episcopo celebrantur, nec non in aliis Pont. Functionibus, et in omnibus solemnibus Supplicationibus, ne illa quidem excepta SSmi. Corp. Chr., ac eo magis in sententia simili persistunt, et usum conservare contendunt ob consuetudinem centenariam, et amplius introductam, atque, uti asseritur, pacifice servatam. Sed Rmus. Ep. quum asserat istiusmodi perpetuum Cappae usum non tribui per supradictum Clementinum Indultum, immo potius adversari Legibus Caerem. Ep., Decretisque alias latis, de communi consilio et consensu ad quaestionem componendam, remque omnem ordinate disponendam S. R. C. sequens Dubium enodandum proposuerunt, nimirum: „An vigore praedicti Indulti assertaeque centenariae consuetudinis Rochettum, et Cappam magnam tum in Pont., tum in solemnibus Supplicationibus, nulla excepta, gestare valeant Mutinen. Dignitales et Canonici, an potius Episcopi voluntati conformare se debeant?“ Et Emi. ac Rmi. P. Ordinariis in Comitibus penes Quirinales Aedes subscripta die coadunati, percepta relatione ab Emo. et Rmo. D. Card. Carolo Acton Ponente facta, omnibus mature

consideratis, accurateque libratis, expositoque Voto ex Apost. Caeremoniarum Magistris scripto pandito, praeoque cuso, rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum Dignitatibus et Canonicis Cath. Eccl. Mutin. suffragari Clementinum Indultum quoad usum Cappae et Rochetti in iis tantum Functionibus, pro quibus aliter non disponatur et a Caerem. Ep., et a Decretis S. hujus C.

Atque ita rescripserunt, et a praedicto Capitulo servari mandarunt; n. 4946 die 24. Sept. 1842.

b) Collegiatae.

I. Modus deferendi.

Ad dubium: an Canonici Colleg. Surrenti possint in processionibus aliisque solennitatibus intervenire solutis cappis vel potius illis ligatis et reollectis? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4031 ad 3 die 12. Mart. 1735. Idem decretum pro Canonicis Colleg. Surrenti. n. 4094 ad 3 die 11. Julii 1739.

II. Mutatio.

Ad dubium: an in Calendario Ecclesiae Placentinae adnotari debeat tempus, in quo sit mutatio capparum Canonicorum Colleg. Ecclesiae (s. Antonini) sicuti adnotatur tempus mutationis capparum Canonicorum Cathedralis? S. C. resp.: Negative et arbitrio Episcopi, etiam quoad alias Collegiatas. n. 3980 ad 3 die 3. Julii 1728.

Vd. *Canonici Cath.* (Insignia etc.; mutatio).

III. Qualitas.

Canonicis Colleg. Ecclesiae s. Mich. Archang. Surrenti licet uti cappis cum caputio subsutis serico rubri coloris. n. 4031 ad 2 die 12. Mart. 1735.

Idem permissum est Canonicis Colleg. Surrenti. n. 4094 ad 2 die 11. Julii 1739.

CASALEN.

Beatissime Pater.

Ad Sedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositus et Canonici Collegiatae insignis S. Mariae Novae Oppidi Lii Casalensis Dioecesis devotissime exponunt a suprema benignitate Benedicti PP. XIV. fel. rec. Praecessoris tui indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet Functionibus Capparum insignia *ormesini violacei coloris*, ut ex Bulla V. Kal. Maii MDCCXLVIII.

Ast (qua de causa ignoratur) Canonici tunc temporis loco *ormesini violacei coloris*, serico *coloris cremisini* ad instar Cathedralis usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem, atque sic induti pluries adstiterunt tam coram Episcopo exercente, quam Canonicis Cathedralis, et in tempore Synodi, nemine contradicente aut impugnante.

Occasione vero Pastoralis Visitationis tribus abhinc annis peractae Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti, ubi instanter petiverunt, ut Canonicos Collegiatae hujus perstringat ad utendum colorem violaceum in Bulla concessionis signatum, et cremisinum deponendum.

Quapropter Canonici Collegiatae praedictae elapso Anno apud Sanctitatem Tuam suppliciter exposularunt, ut loco *ormisini violacei coloris*, colorem purpureum permittere dignarentur, sed a S. R. C. istiusmodi postulatio rejecta fuit.

Verum quum Ormesinus violacei coloris apud sericarum telarum mercatores amplius non reperitur quia a pluribus annis obsoletus, ideo Canonici praedictae Collegiatae humanissime

iterum supplices apud Sanctitatem Tuam sistunt, ut loco *ormesini violacei coloris*, sericum ignei coloris, seu purpureum praedictum benigniter concedere digneris, ut in usu est in nonnullis Pedemontanae Ditionis Collegiatis, consentientibus unanimiter Canonicis Cathedralis una cum Episcopo. Quare etc. Propositis hujusmodi precibus in Ordinariis Comitibus S. R. C., Emi., et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in sensu fuerunt, ut scriberetur Rmo. Episc. Casalen. ut sequitur:

Reverendissime Domine uti Frater.

In S. R. C. Ordinaria subscripta die coadunata iterum per R. S. D. Secretarium ejusdem relatae sunt preces Canonicorum Colleg. Ecclesiae Oppidi Lii vulgo nuncupati istius Casalen. Dioecesis, quas Amplitudo Tua in hunc eundem fasciculum conjectas reperiet. Sed Emi. P. noluerunt aliquid decernere super expositis, satiusque duxerunt ad quaestiones vitandas sequenti modo rescribere. „Episcopo pro Informatione super veritate expositorum, et Oratores exquirant consensum Capituli Cath.“

Dignetur itaque Amplitudo Tua S. C. de omnibus certiore reddere, praesertim super totali defectu serici coloris a s. m. Benedicto XIV. praescripti in Cappa eorundem, atque Canonicos ipsos monere ut supplici prece istius Capituli Cath. in Scriptis consensum petant, et reportent, qui in forma authentica S. C. est exhibendus.

Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat. Romae 23. Septbr. 1837. n. 4517. Rmo. D. uti Fratri Episc. Casalensi.

CASALEN.

Rme. Pater.

Ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositi et Canonici Colle-

giatae insignis S. Mariae Novae Oppidi Lii Casalensis Dioecesis devotissime exponunt, a suprema Benignitate Benedicti Papae XIV. fel. rec. Praedecessoris Tui Indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet Functionibus Capparum Insignia ormesini violacei coloris, ut ex Bulla V. Kal. Maji 1748.

Ast (qua de causa nescitur) Canonici tunc temporis loco ormesini violacei coloris, serico coloris cremisini ad instar Cathedralis usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem, atque sic induti pluries adstiterunt tam coram Episcopo, quam Canonicis Cathedralis, nemine contradicente, aut impugnante.

Occasione vero Pastoralis Visitationis anno elapso peractae, Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti, ubi instanter petierunt, ut Canonicos perstringat ad utendum colorem violaceum in Bulla concessionis signatum, et cremisinum deponendum. Quamvis Canonici Collegiatae Oratores Tui praescriptionem ab immemorabili allegare possent, attamen jurgia devitare cupientes apud Sanctitatem Tuam suppliciter exposulant, ut loco ormesini violacei coloris, colorem purpureum, ut ex signo hic appposito, benigne permittere digneris, quemadmodum conspicitur in usu in pluribus Pedemontanae Ditionis Collegiatis, Episcopo consentiente, et Canonicis Cathedralis, pro qua gratia Canonici preces effundunt ad Omnipotentem Deum, ut Tibi longitudinem dierum, ac quodcumque solamen pro Ecclesiae bono, et exaltatione Tibi misericorditer impertiatur, Pedes humillime osculantes.

Hujusmodi precibus ab infrascripto Secretario relatis in Ordinariis Comitibus S. R. C. ad Qurinale hodierna die habitis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: „Servetur dispositio Brevis

s. m. Benedicti XIV.“ n. 4768 die 8. Aug. 1835.

2) Dignitatum.

Vd. *Cappa Canon. Cathedr.*

3) Eorum, qui ex privil. eam deferunt.

In aliquibus Cathedr. et Colleg. Ecclesiis Beneficiati vel Mansionarii vel Hebdomadarii, vel quocunque alio nomine nuncupati, ex ap. speciali Indulto deferunt cappas pellibus ornatas, diversi tamen coloris ab eo, quo Canonici utuntur. Quum haec coloris differentia inter Canonicos et inferiores Beneficiatos opus sit, ut semper appareat: S. R. C. ad nonnullas removendas exortas quaestiones declaravit, quod in illis Capitulis, in quibus, aestivo etiam tempore, Cappa, pellibus depositis, retinentur, sericum operimentum in anteriori parte Capparum eorundem Beneficiatorum debet respondere colori pellium, quas ipsi dimittunt. n. 4599 die 12. Apr. 1823.

4) Episcopi.

a) Locus induendi.

Vd. *Missa coram Episcopo celebranda; Episc. regul.; Episcopus (assist. Divinis et Concioni); Episcopus (accessus ad Eccles.).*

Satis esse, si Episcopus cappam induat in illa camera, in qua expectant Canonici pro illo excipiendo. n. 777 ad 4 die 20. Nov. 1628; n. 1567 ad 6 die 13. Sept. 1646.

Ad dubium: an *Episcopus Administrator*, dum vadit ad Cathedralis, debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiae vel Presbyterii? S. C. resp.: Arbitrio Administratoris. n. 3952 ad 8 die 22. Aug. 1722.

b) Quando induitur?

In Matutinis tenebrarum Episcopus

uti debet cappa, ut Caer. disponit in dictis diebus. n. 2381 ad 5 die 16. Sept. 1666.

Archiepiscopus Turritanus accedens ad Cathedr. in solemnitatibus ad effectum assistendi functionibus ecclesiasticis tenetur deferre cappam magnam. n. 3687 ad 5 die 26. Apr. 1704.

c) Quis induit?

Canonici et Dignitates Cathedr. Tranen. non tenentur imponere vel aptare cappam magnam Archiepiscopo Ecclesiam introeunti. n. 3746 die 17. Julii 1706.

Vd. *Canonici Cath.* (assist. Episcopo; induunt etc.).

5) Episcopi Suffrag.

Vd. *Suffraganeus* (accessus ad Eccles.; decr. n. 3491).

6) Monastica in processione.

Vd. *Processio SSmi. Regul.* (modus; decr. n. 4130).

CAPELLA.

1) Domestica.

(Erectio et benedictio.)

Vd. *Oratorium; Benedictio Oratorii etc.; Missa* (licentia celebr.). *Dedicatio Oratorii; Patronus Capellae; Credo in festis Titular. Capell. publicar.; Missa extra Ecclesiam celebranda; De loco Capellae cf.: Seminarium* (habitationem); *Communio* (frequens).

Pius PP. VII.

Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Jamdiu ad Nos perlatum fuerat, complures presbyteros in Neapolitano praesertim Regno degentes, id sibi arrogare voluisse, ut Altare portatile, seu Oratorium privatum in aedibus suae habitationis erigerent, non ex aliquo speciali Apostolico Indulto sibi personaliter concesso, sed dumtaxat ex eo, quod nomen ipsi dederint Confrater-